

1381 nificentiam barbarus, ac non multo post aderit, ut suo præsidio urbem tueatur: aut si (quod vix credo) cessator ille minus tempestive in Italiam transverit, en Carrarius adest, cui, itineribus infessis, adempta commeatus Venetique auxilii spe, velimus nolimus dedamur necessum est. Et quia alterutra fortuna nobis suspecta est, ne multorum mensum stipendio fraudemur, statuimus, Veneti nominis dignitate militarique fide incolumi, rebus nostris mature consulere, amiceque quod nobis debetur, reposcere stipendium; ac ne quid temere agatur, certi sumus tantisper adhuc in officio esse, dum unus vestrum ad pecunias expediendas Venetias eat. Interim omnia per nos vobis tuta erunt: dilationem nullam laturi sumus. Nec literis nunciove id Patribus significari placet: vestra opus est præsentia, ut res nobis ex sententia transigatur. Tam diu eum quem miseritis expectandum duximus, donec pecunias nobis debitas expediri potuisse arbitremur: nec consultatione opus est in eo, quod jure debetur: in vestra potestate erit, velitis nos deinceps eos esse, qui ad hunc diem fuimus: an injuria adauctos moliri, quæ neque dignitati vestræ neque commodis conducant. Nam quod ad nostram fidem attinet, nos tam diu in officio erimus, quam vos ipsi volueritis. Defixit Venetorum animos tam insolens militum postulatio: nemo non facile per se intelligebat, quorsum tenderent eorum consilia. Quanquam igitur benigne sit responsum, haud minus tamen proprio quam publico periculo timentes, inter se comparant, ut Dandulus Venetias continuo iret, qui Principem & Patres doceret, in quo statu res ad Taurisium essent. Noctu ille præter hostium stationes per devia & nemorosa loca duobus fidis comitibus Musestrum, inde Venetias venit. Edocti Patres in quanto discrimine Taurisium esset, censent miro consensu pecunias expediri: verum in eo dubitatum, qua ratione stipendium tuto eo mitti posset: apparebat, hostibus omnia tenentibus, sine periculo fieri non posse: nec erant paratæ cohortes ullæ, quæ ad præsidium eorum qui mitterentur, dari possent. Visum itaque est ad Zenum scribere, ut cum primoribus

urbis 1